

CLARISSIMO NOBILISSIMOQVE VIRO DOMINO D.

IOANNI DE GOMONT

REGI A SANCTIORIBVS CONSILIIS

CELEBERRIMO IN SVPREMO SENATV PATRONO

XENODOCHII PARISIENSIS NOSOCOMIIQVE GENERALIS

ADMINISTRO VIGILANTISSIMO.

QVAMVIS ad illud dignitatis fastigium tua te virtus euexerit (*NOBILISSIME VIR*) vt grauioribus ipsius regni negotijs intentum nefas sit animum interpellare; solitâ nihilominùs humanitate fretus, coram te sisto solemnem quam Medici saniores habent cum Paracelsistis controuersiam: cujus si Patronum ac judicem te semel adhibes, irrita concident aduersariorum tela; tantus est tui nominis splendor, tanta doctrinæ, ac judiciorum autoritas. Quis enim absolutissimam hanc non demiretur ac suspiciat animi tui præstantiam, quam vitæ integritas, morum facilitas & candor, consiliorum dexteritas, ad ardua quæque suscipienda & ad optatum finem perducenda natiuus ardor, in disceptandis componendisque litibus solertia, cultus erga res diuinas eximius, & in ipsos inopes sollicitudo verè paterna tantoperè commendant. Tam splendida sanè virtutum omnium congeries, sic populi, totius Senatus, ac Galliæ Primatum tibi deuinxit animos, vt omnes exploratum habeant quantis merita tua cumulauerit beneficijs Pomponius Belliæuræus, supremi Senatus Princeps Illustrissimus, qui moriens probitatem tuam pretiosissimo munere decorauit. Mirabitur ipsa posteritas quantâ gratiâ valueris apud Eminentissimum Cardinalem & Ducem Richelium qui te eo donauit honore, vt esses à sanctioribus Regis Consilijs, nec ingrata reticebit quanti te fecerit immortalis Julius qui te suorum Principem asciuit, in omni dignitate rerum præclarè gestarum gloriâ clarissimum. Plura ne referam vetant animi tui moderatio, publicique status, cui inuigilas, commodum: Itaque te solùm obtestor, Remensis Patriæ decus alterum, vt hasce lucubrationes, ceu vmbratiles obstrictæ notas obseruantiæ, serena suscipias fronte: cujus fauoris nunquam non memor nobilitati tuæ Nestoreos precabor annos, tuisque debitam meritis immortalitatem.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN ANTONIANIS MEDICORVM REMENSIVM SCHOLIS DIE XXIX. NOVEMBRIS

Clarissimo Viro M. PETRO OVDINET Doctore Medico Moderatore. 59.

An morbis περίαπτα.

HOMO (morborum non minùs quàm sæuientis fortunæ ludibrium) peioris ipsa bellua sortis esse videtur, quòd ab ipsis concepturæ primordijs, vix ac ne vix quidem à quouis exitij genere, tutus diu valeat spiritum prolongare: hic etenim ex dimidio nondum factus congenitæ corruptionis labem, vel in propriam refundens parentem, in illa tremulum quendam horrorem, cibi, venerisque fastidia, λειποθυμίαν, ac mille confert tædia quibus vterum pro tumulo, & abortum pro ortu, non raro coacta rependit. Quòd si tanta hæc incolumis euasit pericula, nec in ipso partu à conuulsa matre, imperitâ obstetrice, aut à se ipso damnum accepit; delicatulis immania membris non parcunt incommoda; dira siquidem oris vlcera, tussis, aurium humiditas, gingiuarum pruritus, vomitiones, lumbrici, διάῤῥοιαι, calculi, strumæ, nec non infausta puerorum mater ἐπιληψία vitam necdùm benè inchoatam interminantur. Nec in minori rerum erit discrimine non semper florida juuentus, quæ dum majorem in proceritatem faciles corporis laxat habenas, in plures impingit scopulos; quos inter φθίσις quæ robustissimos quosuis inuadens ferox adeò malum est, vt certo tramite ducat ad interitum, quo sensim accedente quasi mitescit. Quæ sequitur ætas suos pariter inuehit affectus, quales sunt ἆσθμα περιπνευμονία, πλευρῖτις, δυσεντερία, λειεντερία, & αἱμοῤῥοΐδες quibus larga superueniens αἱμοῤῥαγία plurimùm est saluti. Deficiente demùm ætate statim obrepit pallida, ingratique ominis senectus, tristes cujus asseclæ sunt, ineuitabilis δύσπνοια, στραγγουρία, κατάῤῥος, ἀρθρῖτις, δυσουρία, νεφρῖτις, tandemque ἀποπληξία, siue insensilis organorũ defectus. Neque verò his solùm ægritudinibus obnoxij sumus, quæ per ætatum vices accidunt, in capessendis namque cibis & potibus, inspirãdo aëre, regendisque corporis & animi motibus, sanus quiuis, si modũ non seruauerit, in καχεξίαν aut febres incidit, labefactatâ partium internarũ œconomiâ.

NEC infœliciter progenite, tuæ calamitatis in causa naturam, eamque non secus ac effœtam, pristino quasi robore denudatam, aut nouercam impiè reputes: Majores æquiùs tuos incusaueris, quorum intemperantia major effecit, vt per traduces creaturas irrepserit citiùs interimentis veneni lues. Sed missis querelis omnibus, longè tibi satius fuerit ad sacram salutis anchoram ocissimè confugere. Ad hanc infinitos tibi reserauit aditus eadem quam modo criminabaris inculpata, & optima rerum parens: (cujus tu fruere donis) nec adeò fatuus sis, ac in ipsam, te, & Deum injurius; vt nefando Stoïcorum fato, vanisque syderum aspectibus, tua stolidè committens tempora, de recuperanda sanitate, non admodum sollicitus sis, imò desperes. Nunquid resina non est in Galaad, & Medicus non est ibi? (qui tanquam naturæ manus & Dei) omnia quæ circa se posita sunt ad salutarem totius humani generis vsum conuertat. Ne tamen cum sanitate vita sic tibi sit in delitijs, vt hanc per media protrahere piacula mediteris: Maximum hoc nec ipsâ morte satis expiandum facinus, totis execrantur viribus jura, tùm humana, tùm diuina, heu quantus namque te rapit furor monstrorum artifex, & tartaro jam proximè deuota victima? cùm à creatore tuo, medijsque ab ipso concessis improbè discedens, ad Ariolorum, Agyrtarum, Paracelsistarum, Sagorum, Cacodæmonumve sacra declinas commercia. Ejus erunt classis appensa, sigilla, annuli, philtra, ligaturæ, περίαπτα, characteres, & similia, nonnullis signis, figuris, ac litteris (cum certis quibusdam, rerum, temporis, ac numeri circumstantijs, gentilismum, aut pactum sat redolentibus) discriminatis prædita: quæ omnia certè fucatas, & ad tempus latentes appellamus corporum gehennas, maligni spiritus alphabeta, & proindè summè præcauenda infidelium animarum aucupia.

NIMIVM ergò credulæ priscorum ætati relinquamus, aut suis inuentoribus Hispanorum Hygam, gentilium Romanorum præfiscinos, Græcorum περιάμματα, Iudæorumque φυλακτήρια (omnium vt dicebant malorum auerruncatoria) nec non ea quæ passim apud ignarum ignavumque vulgus fidem dudum obtinuere diplomata, ceu codicilli, quorum singula nil præter hilares quasdam mentis facetias, argutos dæmonis lusus, aut vesana resonant portenta: nec aliundè sanè quàm ex ejus academia relatum est aduersus canis rabidi morsum hæc verba in pomi frustulo hax pax max Deus adimax; odontalgiam, galbes galbat, galde galda, omnem habere vim ac energiam. Chartam item in qua designata lateant elementa Græca α. & ρ. collo suspensam ab oculis arcere morbos, quosdamq; annulos varijs quibusdam conditionibus præditos valentissima esse contra noxios omnes insultus alexipharmaca; adeò vt illorum vnicus, obsessi naribus semel admotus fastuosum hunc barathri principem per earum ductus extraxerit. Sed quid plura? invulnerabilia fieri posse corpora, si certo modulamine gladij acies incantetur, circumferantur amuleta magicis characteribus insignita, linteumve gestetur internum (quod ritè diceres inferni camisiam) horrendis inscriptum imaginibus. Neque mihi multò magis arridebunt Quinti Sereni pro hæmitritæo depellendo, in conifiguram expressum illud abracadabra, Æsij quoq; ac Fontechæ consilia, omnem etsi pietatis, ac verissimæ religionis facem præ se ferre videantur. Nec est quòd importunè nobis in aures obganniant cabalistæ deterioris sanè farinæ viri, magnam litteris, syllabisve significatiuis, ac maximè Hæbræis inesse cum syderibus sympathiæ connexionem, characteres & figuras, quasdam à cœlo rapere vires, ipsamq; imaginationem cœlestibus vim facere corporibus, anilibus enim commentitijsque fabulis, quantùm sese extricare, suasq; celare conentur imposturas quis non videat?

HÆC esto Polydædalæ medelarum varietatis trutina, vt omnis qui exinde prodire potest effectus, pacto cum dæmone inito tribuendus sit, si naturalis artificij vires superet & industriam; nec vllatenus de miraculis constet: Hæc, cum animam primò, tum corpus (ipsiusve partem) in extremas redactum angustias subitò, perfectè, & absque omni recidiuæ metu sanent, per impios patrari non finit Omnipotens, sed per viros integerrimæ vitæ sanctitate conspicuos, viuos, aut defunctos, quorum opem solam efflagitare licet, in desperatissimis morborum periodis, jisque affectibus qui non solùm ex insolita humorum putredine, sed etiam ab ipso Satana causati naturalibus nedum cedant solatijs, ab illis vrgentiores euadunt. Sic Christianissimi Galliarum Reges (diuino cæteroquin Chrismate peruncti) præclarâ rebelles scrofulas edomandi prærogatiuâ donati sunt. Quos præter mortalium nullus consimiles corporum pestes ingenita valet eliminare potestate. Hinc ergo procul improbi circulatores, qui tantopere magneticum commendatis puluerem, cujus vsum si quæ sequitur efficacia, magica dubio procul est aut nugatoria: Cùm enim inter agentia naturalia nulla dari debeat actiuitatis sphæra, quæ sit interrupta, quænam amabo vos in illo legitima vis esse potest ad effectum in subjecto longè distanti producendum: nec mitior vos manebit censura, nugaces Empirici, quibus temerario solius vrinæ judicio fretis, solemne est de ægrotantis natura, sexu, mulieris conceptu, parte affecta, morbi specie, & exitu pronuntiare: sicque de corio ludentes humano, per medias mortes agitis experimenta. Denique vos arguam humani sanguinis osores, qui nefandum ex eo conficere leuamen, contràque honestioris vitæ rationem, religionisve votum, de partium salute supra modum solliciti, aliquid consulere non perhorrescitis.

LONGE sanctiores magisque habiles nobis insinuasse videtur sanior Medicina leges, quæ laborantium habitu, moribus, ætate, priùs cognitis; morborumque causis per contraria mere naturalia (quæ nobis abundè suppeditant, δίαιτα, χειρουργία, φαρμακεία) potissimùm debellatis; quotidie plurimos sine periaptis ab extremo mortis limine reuocare nouit ad sanitatem. Nunquid enim præter idoneum rerum non naturalium vsum, vulgatissima sed sufficientia morborum adsunt flagella φλεβοτομία, καὶ κάθαρσις? illâ varijs de causis quauis in parte celebrari solitâ, partium leuatur obstructio, viscerum emendatur intemperies, feruidius refocillatur hepar, febrium, & quarumvis inflammationum demulcetur ardor, imminens à menstruis hæmorrhoïdibusve suppressis noxa repellitur, πληθώρα denique comminuitur. Hæc omnem abigere nata κακοχυμίαν particularis est aut generalis, mitis aut vehemens: vnaquæque natiuis medicamentorum, quæ priùs erant sopitæ, viribus à ventriculi calore suscitatis, pituitam, siue bilem alterutram diluit, vacuat, eradicatque. Veruntamen cùm medicamenta concedantur externa, certis partibus propria, vt frontale fronti, collyrium oculis, naribus errhinum, sinui pudoris pessarium: itemq; vaga, frictiones scilicet, vnguenta, ligaturæ, cucurbitulæ, & hirudines, quidni & περίαπτα? Plurima certè cùm sint illorum genera, superstitiosis ac dæmoniacis duntaxat exsibilatis, diuinorum summo cultu veneramur & commendamus vsum; naturaliàque (quorum etsi major sæpiùs fama sit quàm vtilitas) non improbamus: sicut enim imaginationis errores, blandientibus identidem technis fallere cogitur Medici prudentis industria; sic molestas ægrorum querelas aliquibus demulcere periaptis: ijs scilicet, quæ ex gemmis, lapidibus, herbis, aut ipsis animalibus desumpta, vi physicâ partibus affectis mederi valent. In quorum censum venient nemoralis bufo per medium ventrem in longum sectus & lumbis alligatus, ad ascitem curandum; pæoniæ radix, ad comitialem morbum; jaspis viridis, ad stomachi imbecillitatem; indicus, ad quamuis hæmorrhagiam, vt & corallus; nephriticus lapis ad hepatis & renum affectus; aliaque plurima, quorum effectus veritati tùm Philosophicæ, tùm Christianæ non repugnant.

Ergo morbis περίαπτα.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Andreas Oudetius, Profess. Anton.
M. Franciscus Abrahamus Frambesarius, Profess. Anton. & Decanus.
M. Claudius Nolin.
M. Nicolaus le Comper.
M. Petrus Rainssant.
M. Joannes Lapile.
M. Thomas le Fricque.

Asserebat NICOLAVS RICHELET Remus, Medicinæ Baccalaureus, A. R. S. H. M. DC. LXIII.